GODEFRIDUS ADMONTENSIS
Admont, 2. Hälfte 12. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26285
Copyright: Admont, Benediktinerstift

omnes suspirant, qui se incolas esse cognoscunt in terra. De quo
loco bene dicitur quod in eo nullius rei sit penuria. Nam in celesti regno
omnium bonorum redundat plenitudo. Nec mirum, nam ipse ex quo, in
quo, et per quem omnia, ibi presens aspicitur, in cuius desiderantissima visio-
ne tanta redundant bona, que omnia cunctorum merita excedunt
et vota. In quo nullius rei est penuria. Eorum inquit que gignuntur in terra.
Que nam sunt que gignuntur in terra? Opes utique et divitie, quas fures ef-
fodiunt et furantur, quas erugo et tinea demolitur. Sed harum in ce-
lesti regno non erit penuria, nam opes que ibi reddentur nulla cor-
rumpuntur vetustate, nulla amitti possunt occasione.

## Sermo de sancto Mathia apostolo.

BEATUS MATTHIAS APOSTOLUS, CUIUS
hodie festa celebramus, qui sorte electionis ad apostolice
dignitatis est provectus, non ideo coapostolis suis glorie aut
potestatis eminentia impar esse creditur, quia a Christo
adhuc in carne manente cum ipsis non est electus.
Eterna quippe dei patris sapientia, que in diebus carnis sue apostolos
suos per dulcem vocationem electionis sue ad se traxit, ad dexteram
patris residens, beatum Mathiam per apostolorum ministerium ad consortium eorum
assumpsit. Et non incongrue nomini huius apostoli perfecte eius convenit humili-
tati. Nam Mathias parvulus dei interpretatur. Parvulus non corporis quanti-
tate, sed cordis humilitate, quia vere spiritu humilis, vere despectus
fuit in oculis suis. Sicut enim homo si quid boni fecerit, per superbiam des-
truit et amittit, ita si in aliquo deliquerit, per humilitatem ad in-
dulgentie gratiam redire poterit. Hic ergo dux et princeps eximius, unus
de egregiis celi et terre principibus, in quadam veteris testamenti loco